

amicus, se-
non electum,
reiciatur,
multa com-
probatio ne-
cessaria.

verò non ita. Tam cum etanter se habebat Dominus
erga Chananæam, cum tamen semel rogatus à Iu-
dæis salutem illis impendebat; imò verò aliquando
hanc illis offerebat, vt eius eximius affectus erga
illos patefieret, vt ita eorum obstinatio, malitia, ac
digna à Deo repulsa declararetur. Quos enim in
feruos, ac amicos semel elegisti, vt à te reiciis,
multa sanè exigitur comprobatio.

62.
Basil. Sel.

Tertiò D. Basilii Seleucus orat. 20. Ecce propter
te, o Iudæe, luctu consortam despicio, commiserationem
tego, & si luctus misereor, vociferantem, vt Gentilem
auerfor, tibi infidelitatis occasionem præscindens: non-
dum malum soluo, ne te ad inuidiam commoueam. Di-
uini principis ingenium, retardabat fauorem suum
Gentili fœminæ, etsi benemeritæ impendere; ne
inde ruina, & offensa Iudæis gigneretur: repulsam
optimè merenti dabat, vt inde aliis offensa ampu-
taretur occasio. Nec enim Deus suis cum aliorum
offensione benefacere solet. Vide tom. 3. cap. 34.
num 31. 32. 33. & 34.

63.
Basil. Sel.

Quartò. Idem Basil. Seleuc. cit. loc. O sub inhu-
manitatis obtentu silentium longe humanissimum!
O silentium vocalis admodum Iudeorum accusator!
Namque silentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides,
Iudæe, Chananæe generositatem? Vides, ex improba
radice factum dilaudatum? Moysen non suscepit
lauræ legis, & Moyses agnouit Dominum: Prophetas
nesciuit, & à Prophetis cantato credidit: non vidit
signa, & Davidis filium constituit: Deum post mira-
cula negasti, Iudæe, & huic illa ante miracula credidit.
Et post pauca subdit. Curationis dilatio, fidei specim-
en; sanitatis prorogatio fuit voluntatis in muliere
comprobatio. Suo alto silentio multa Iudæis, ac
mulieri Christus loquebatur: Iudæis, eorum infi-
delitatem, ac obduritiam arguendo; nam, cum in
lege essent enutriti, Deum in lege promissum non
agnoscebant: Mulieri etiam loquebatur, vt suo si-
lentio illius fides, ac voluntatis feruor probaretur.

Silentium suū
etiam habet
vocem multa
loquentem.

64.
Chrysof.

Quintò D. Chrysofotomus homil. 44. in Genes.
Sciebat Dominus, ait, reconditam margaritam, quam
latere nos volebat. Idcirco differebat, ne responsio di-
gnabatur, vt posteris omnibus, mulieris sedulitas, mag-
na fieret doctrina. Videbat Dominus ingentes
mulieris virtutes, quæ vt patefierent, non respon-
debat, vt cunctis claresceret, quàm digna beneficio
mulier esset. Mandauerat Dominus suis: In viam
Gentium ne abieritis: ad legem ergo, à se impostam,
transgrediendam, mulierique Gentili beneficium
impertendum, multum vrgens causa, magnaque
comprobatio exigebatur.

65.
Carthuf.

Ostendebatur mulieris sedulitas, charitas, ac
instantia, qua pro filia deprecabatur; ipse autem
non respondit, ait Carthusianus, vt illa instantius
peteret, & ardentius postulando copiosius exaudiretur.
Deus aliquando dissimulat, nostras preces exau-
dire, vt largius concedat, & gratius desideratum
donum suscipiatur. D. Chrysofotomus homil. 17. ex
variis in Matth. Non respondit, quia fidem illius am-
plius prouocabat, & animum perseverantia exercebat.
Non respondit, ait Theophylactus, firmam mulieris
fidem manifestam reddidit. Cum esset Gentilis,
antequam miracula videret, tam constanter Chri-
stum credidit Deum, vt iam ex Seleuco notauit; &
etiam vt illius perseverantia declararetur; nam
quamuis repulsa, non desistit: quo monemur, in
oratione perseverandum. D. Augustinus serm. 74.
de tempore. Clamabat fœmina, ait, & dissimulaba-
tur à Christo, non vt misericordia negaretur, sed vt
desiderium accenderetur; non solum vt desiderium
accenderetur, sed vt humilitas commendaretur.

Fides, perse-
uerantia, &
humilitas
mulieris.

August.

Etiam vt probaretur eximia mulieris patientia,
qua in sua petitione pro filia sanitate deprecans,
rigidam accepit repulsam silentio, & verbis. Silen-
tio, dum ei non respondit. Verbis cum eam canem
appellat: Non est bonum, sumere panem filiorum, &
mittere canibus. Quod eleganter describit D. Basil.
Seleucus citata Orat. 20. O diram inhumanitatem,
non luctu abiectam miseratus est; non matrem filia do-
loribus lancinatam solatus; non natura suis agente
partes commiseratione ictus est: supplicem auersa-
batur, & clamitantem refugiebat. Et postea subdit:
Commodior erat tacens, quam loquens: ab eo insuper
tunc dictis spes excussit concepto errore: Contumelia-
rum additamento calamitates meas cumulauit. Canis
tanta hominum turba audio. Cum mulier multa fide,
humilitate, ac perseverantia esset digna beneficio,
valde rigida videbatur dura repulsa. In muliere
quoque sese manifestauit prudentia, vt etiam pon-
derat citatus Chrysofotomus. Vide, ait, mulieris
prudentiam, qualiter nec contradicere ausa est, nec
contristata est in aliorum laudibus, nec molesta est
in proprio conuicio; & tandem prudentia apparuit,
quia sciuit querere medicum bonum, non recurrit ad
sacrilega remedia maleficiorum. Quod etiam pon-
derat Origenes, & Theophylactus. Et quid pru-
dentius, quàm scire querere bonum medicum,
bonaque medicamenta, & conuicio nominis canis
non tristari?

66.
Magna pa-
tientia, susti-
nere repul-
sam in petitione.

Basil. Sci.

Chrysof.

Origen.
Theophyl.
Prudentia sci-
re querere bo-
num medicum.

67.
Glossa.
Abulens.

Euthym.

Diuersus mo-
dus erga fi-
lios, ac alie-
nos.

68.
Matth. 10.

Sextò. Glossa, Abulens. q. 67. Non respondit, vt
Discipuli pro ea rogarent, ostendens, necessarius esse
preces sanctorum ad impetrandum. Vide tom. 2. c. 29.
q. 9. n. 62. Voluit Dominus, vt Discipuli petant, vt
sic daretur occasio ad perpetrandum miraculum.
Septimò. Euthymius. Christus, ait, penitus silet
sustinens, donec omnis illius fides manifestetur, quod
vario modo facere solet in multis. Simul etiam vt è
diuerso, Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret
affectum, quum infirmos eorum semel tantum rogatus,
imò nec semel quidem, statim curabat, Gentilium verò
non ita. Deus etiam differt, beneficium non aufert.
Siluit erga mulierem Gentilem, vt ostenderet, quàm
diuerso modo se haberet ad filios, ac alienigenas;
nam filios etiam non rogatus statim curabat, ad
alienos verò cum aliqua mora, ac cunctatione se
habebat.

Octauò. Sic rem explico. Imposuit Christus
D. suis discipulis præceptum: In viam Gentium ne
abieritis, & in ciuitates sanaritanorum ne intraueritis,
sed potius ite ad oues, que perierunt domus Israel.
Matth. 10. n. 5. Accessit ad eum hæc mulier Gen-
tilis, multum pro filia sanitate deprecans; nec atten-
dit, nec respondit Christus: rogant Apostoli, vt
mulieris clamoribus condeleat; quibus & ipse ait:
Non sum missus, nisi ad oues, que perierunt domus
Israel: Nec adhuc illius optatis condescendit. At
verò postquam ipsa se maxima fide trãplantatam,
ac transformatam in filiam Abrahæ declarauit:
O mulier, magna est fides tua! statim ei annuit:
fiat tibi, sicut vis. Cur modo, & non antea? Vt fir-
miter stet diuini verbi stabilitas. Verbum eius erat:
In viam Gentium ne abieritis, sed potius ite ad oues
Israel. Quandiu ergo mulier vt Gentilis accedit,
non obtinet; at verò postquam ipsa inter oues
Israel fide est transfusa, & computata, statim optatis
fruitur, vt ita diuini verbi inconcussa persistat ve-
ritas, vt nec à minimo apice defecisse videatur.

Ingressit Iesus domum Zachæi Publicani, &
Gentilis, vt eum multis donis repleteret; antea ta-
men præmisit: Hodie salus domus huic facta est, eo
quod & ipse sit filius Abrahæ; venit enim filius hominis
querere

69.
Luc. 19.

Luc. 19.

Zachæus fi-
lius
Abrahæ, re-
pletur donis.

Glossa.
Bonauent.

70.

Exod. 6.

Genes. 15.
Deus verax
in suis verbis.

Rupert.

71.
Genes. 19.

Genes. 18.

Maximè de-
claratur
Deus verax
in suis verbis,
& promissis.

Caictan.

querere, & saluum facere, quod perierat. Luc. 19. n. 9.
Ad quid in primo ingressu Ethnicus homo de stir-
pe Abrahæ declaratur? Ad quid inter Israheliticis
oues computatur alienigena? Vt diuini verbi fide-
litas inceneruata appareat: dixerat enim ipse, se ve-
nire ad querendas oues perditas Israel; ne ergo
Zachæum donis salutis replens videatur, tantum
verbi stabilitas infirmari, ipsum inter na-
tos Abrahæ computandum asseuerat, vt totius ca-
lumnia occasio amputetur, cum illius domus tan-
tis donis cumulatur. Glossa, D. Bonauentura. Za-
chæus filius Abrahæ dicitur, non carne, sed fide.

Postquam sublatis omnib. exultationibus Moyfi
iniuncta est delegatio in Deum, vt pergeret ad
Pharaonem, vt de eius ergastulo Israel emeret;
statim subnectitur numerus filiorum Israel. Isti sunt
principes domorum per familias suas: filij Ruben, pri-
mogeniti Israel Henoch, & Phallu, Hefron, & Carmi.
Exod. 6. num. 14. Ad quid interruptitur historia
stylus; nam imposita legatione ad Pharaonem,
consequens erat, vt scriberetur, quomodo Moyses
ante ipsum comparuit: ad quid perducitur nume-
rus filiorum Israel in quarta generatione? Prædixit
Deus olim Abrahamo, quomodo eius filij futuri
erant captiui in Ægypto: Quarta generatione re-
uertentur huc. Gen. 15. n. 16. Quando ergo Deus
descendit, vt suum populum de manu Pharaonis
liberaret, commemoratur quarta generatio, vt
ostendatur diuina veritas in suis verbis, & quo-
modo id, quod promissit, in suo designato tempore
exequitur, & adimplet. Rupertus lib. 1. cap. 25.
Ad comprobendam, ait, veritatem Dei, qui ad Abra-
ham de hac seruuente, & subsequenti libertate filiorum
Israel ante locutus dixerat: Generatione autem quarta
reuerterentur huc: Vt ergo tempus à Deo præsumum
aduenuisse appareat, generationem filiorum Israel
intexere incipit.

Ad Sodomam veniunt duo Angeli, quos Lot in
domo sua hospitio excipit; statim subnectit Tex-
tus: Præquam autem irent cubitum, viri ciuitatis
vallauerunt domum à puero usque ad senem omnis
populus simul. Gen. 19. n. 4. Huius rei consecutio
maximè notanda, ac admiranda: Quomodo in tam
ampla, & vasta ciuitate duorum virorum aduentus
ita notus, ac divulgatus est, vt omnes statim ad Lot
domum conuolauerint? Deinde res magnum im-
portat mysterium, quod vniuersi à puero, & sene,
nullo dempto, ad iusti viri domum comparuerint.
Ad quid hæc tam exacta descriptio? Abrahamus
supra agens cum Deo, multis contendit pro libe-
randa Sodoma ab imminente supplicio, ac à sen-
tentia Dei in nefandos promulgata. Et tandem
ambo pacti sunt; quod si decem viri iusti fuissent
inuenti in ciuitate, Deus à sua sententia abstin-
endus esset. Gen. 18. n. 32. Scribitur ergo, quod Lot
fedeat in foribus ciuitatis, quando Angeli ad eum
venerunt; ex quibus, tanquam è loco publico,
statim eorum aduentus publicatus est, & quod
omnes à puero, & sene turmatim in domum Lot
ad execrandum scelus perpetrandum concurre-
rant, vt comprobaretur, nec decem iustos fuisse
inuentos, neminemque ex eis extitisse iustum, vt
cunctis fiat euident diuina veritas in verbis suis,
ne aliquis contra eam quidquam valeat oblatrare,
aut dicere, Deum promissis non sterisse. Caictan.

Fuit, ait, inquisitio facta Sodomis, promissa Abrahæ,
an in Sodomis essent decem viri iusti? Concursus
enim iste, non hyperbolice describitur, sed ad manife-
standam inquisitionem diuinam. Lege ante scriptum
colloquium inter Deum, & Abraham; inuenies, de
Sylueira in Euang. Tom. I. V.

masculino tantum genere fuisse sermonem, dum à
quinquaginta usque decem istos descensum est, &
propterea virorum duntaxat hic mentio fit, dicendo
à puero usque ad senem.

QVÆSTIO VIII.

Quare Discipuli pro muliere rogabant?

RIM o dici potest in hac re, vt restatur
Abulens citandus, quòd Discipuli non
rogarunt pro muliere; sed eius clamori-
bus fatigati rogabant, vt Dominus eam à se expel-
leret, & abiceret: non enim dixerunt, exaudi eam,
sed dimitte eam.

Tamen constans est Patrum sententia, quòd Di-
scipuli misericordia moti rogauerunt pro muliere, vt
Dominus sanaret filiam eius. Ita D. Chrysofotomus
homil. 38. & 44. in Gen. hic D. Hieronymus, Beda,
D. Paschasius, D. Basil. Seleuc. cit. S. Thom. Abulen-
sis q. 68. Hæc sententia manifestè comprobatur ex
Christi responsione ad Discipulos: Ipse autem re-
spondens ait: Non sum missus, nisi ad oues, que perie-
runt domus Israel. Si autem Discipuli tantum pete-
rent, vt eam abiceret, ac expelleret, non hoc mo-
do Christus responderet, his enim verbis volebat
significare, quod non licebat, hæc mulieri conce-
dere, sed Iudæis solum, quia ad illos ipse primò
venerat. Ac proinde, cum Christi responsio esset
iuxta mentem Discipulorum, & eorum verba, Di-
scipuli pro sanitate impetranda deprecabantur.
Præsens quæstio inquit: Quare Discipuli ro-
garunt?

Ad quæstionem respondet primò Glossa: quod
sic ex Concilio diuino dispositum est, vt ostende-
retur, Sanctorum preces esse nobis valde necessa-
rias, & viles, quia licet, vt Discipuli rogauerunt, sta-
tim Dominus non exaudierit, in aliquo tamen fuit
exaudita eorum oratio: nam antequam illi loque-
rentur, etiam si mulier clamaret, Christus non re-
spondebat aliquid; postquam autem Discipuli pro
ea rogauerunt; Christus respondit. Secundò Abu-
lens q. 69. ait, quod sic permissum est ad magis se
exculandum aduersus Iudæorum calumnias: nam
si obmurmurarent, quòd sanitatum beneficia Gen-
tibus impendebat, dicere poterat, quòd hoc fa-
ctum est magna mulieris importunitate, ita vt pro
ea Discipuli deprecarentur.

Tertiò D. Paschasius lib. 7. in Matth. Pro hac Di-
scipuli interpellant, ait, forte, quia adhuc mysterium
Saluatoris minus intelligebant. Ideo durum eis visum
est, quòd ad tam deprecatorias voces longè iam diu
nullum responsum daret. Duas rationes nobis in-
culcat S. Pater. Discipuli rogabant pro muliere, quia
mysterium Saluatoris minus intelligebant. Sic sæpe
homines loquuntur de iis, quæ viri magni ope-
rantur, quia eorum consilium, mentemque non
capiunt, nequeprehendunt: non enim Discipuli
callebant altitudinem dispositionis, ob quam Do-
minus tacebat. De quo vide superiorem quæstio-
nem. Secundò, Durum visum est, quòd ad tam de-
precatorias voces nullum responsum daret. Quamuis
mulier nil peteret à Discipulis, ipsi pro muliere
petunt: videbant, eius orationes post tergum Do-
mini effundi, & durissimum eis visum est, quòd
orationes tanta humilitate prolata, vt ante con-
spectum Domini non auderent apparere, non eisdè
exaudirentur. Orationi cum humilitate resistens,
fatis durus iudicatur.

72.
Abulens.

73.
Chrysof.
Hieron.
Beda.
Paschas.
Basil. Sel.
D. Thom.
Abulens.

Discipuli pro
muliere roga-
runt.

74.
Glossa.
Preces San-
ctorum nobis
valde viles.

Abulens.

75.
Paschas.

Sæpe homines
loquuntur,
quia aliorum
consilium non
intelligunt.

76. Paschas.
 Quartò idem Paschasius citato loco: Discipuli pro hac Dominum interpellant, pro amore piissimi Magistri, ne quasi cupiam durus videretur, imò misericors fieret, exorabant. Vnde Discipuli sunt rogatores mulieris huius, cum, apud hospitem suum Lazarum, quod pro eo rogarent, non legatur? Cur modo pro hac femina deprecantur? Pro amore piissimi Magistri. Sic Dominum diligebant, sicque studebant pro eius nomine divulgando, ut medientes, ne apud Gentiles eius nomen malè audiretur, quòd illis durus extabat, cum suis esset valde bonus, ac benignus, illum sedulè rogarent, ut extraneæ mulieri petita concederet. Vel dic, quòd veri Christi amatores nolebant, ipsum ab aliquibus seuerum reputari, sed magis misericordiam ab omnibus notum haberi.

77. Chrysof.
 Quintò D. Chrysofomus homil. 54. hæc verba sic explanat: Dimitte eam. Estimo, Discipulos ad calanitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere. Da ei hanc gratiam, sed dimitte eam. Sicut & nos cum volumus alicui persuadere, multoties contraria dicimus. Discipuli longa experientia, in Christi clementia instructi, rogant, ut supplicentem mulierem dimittat, non vacuum, sed optato dono plenam; ex ingenti enim pietate Christi perspectum habebat, quod mulierem non dimitteret, nisi concessio beneficio. Vnde Discipuli, mulieris repulsum precantes, clementiam deprecabantur. Tam benignus est enim Deus, ut nõ solum rogatus beneficium concedat, sed etiam negantibus, & contrarium petentibus idem largiatur. Spiritus postolat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. num. 6. Alij verba transferunt, gemitibus contrariis. Per Spiritum autem D. Chrysofomus, Theophylactus, Oecumenius virum spiritualem interpretantur. Tanta est enim diuinæ pietatis magnitudo, vt siue à ratione concedendi, siue ab occasione negandi ad largitatem promoueri soleat. O ingens diuinæ pietatis arcanum, cui negandi occasio dat miserandi ansam!

78. Basil. Scl.
 Sextò D. Basilii Seleucus orat. 20. Interim, ait, Apostolorum chorus, cum neque silentij Domini sapientiam satis cognosceret, neque mulieris voces ferre posset, vicarius intercessor apud Salvatorem interuenit, ac mulieris oratores sunt Christi Discipuli, & infirmis mulieris susceptis precibus hortabantur Dominum: Dimitte illam, quia clamat post nos. Discipuli adhuc imperfecti, ac impoliti in virtutis negotio, typum sæcularis intercessionis apud mundanales principes adumbrant. Munus intercedendi pro femina Discipuli suscipiunt; & ad hoc rationem allegant, non vt mulier voti compos fiat, nec vt pro suis generosis virtutibus, fide, humilitate, ac perseverantia salutem filiz impetret; sed quia clamat post nos: eius nempe multiplicatis gemitibus, ac vocibus fatigamur. Ecce quid suggerit vicarius intercessor, non vt mulier optata fruatur, nec vt in miraculo perperrato Dei gloria manifestetur; sed vt ipse à molestia, ac tædio liberetur: non aliorum commodo, sed tantum suo studet vicarius intercessor. Cum neque mulieris voces ferre posset, apud Salvatorem interuenit.

79. Genes. 40.
 Detentus Ioseph in carcere Præposito pincernarum explicauit somnium, quod ipse viderat, nempe post tres dies functionibus sui muneris restituum esse, atque illi sanctus adolescens: Memento mei, cum bene tidi fuerit, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto sublati sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum, Genes. 40. n. 14. Tamen postea, prosperis

succedentibus rebus, oblitus est homo interpretis sui per duos annos; & tunc recordatus est, cum enucleationes ad Pharaonis somnium conquærentur, dicens: Est ibi, scilicet in carcere, puer Hebræus, cui narrantes somnia audiuimus, quidquid postea probauit euenit. Ego enim restitutus sum officio meo, Genes. 41. n. 12. Pro Ioseph eligitur ipse Præpositus intercessor apud Pharaonem, vt de eius innocentia exorator existat, & hic innocens missus sum. Tamen cum de illo apud regem verba facit, solum de sua subleuatione ad antiquum munus agit: Ego enim restitutus sum officio meo. Cur non innocentiam, à tuo interprete tibi commendatam suggeris? Cur illam prætermittis? Ecce vicarius intercessor palatinus nihil de aliorum iustitia, ac innocentia pertractat, sed tantum suæ utilitati studet, quomodo nempe ipse restitutus, ac exaltatus sit in suo munere. Causa innocentiam aliorum è memoria excidit; propria verò sublimatio alta mente retinetur.

80. Exod. 9.
 Inter cæteras Ægypti plagas denunciatur Moyses Pharaoni, quòd cras erit pluuia grandinis multæ nimis: ac proinde subdit, mitte, & congrega iumenta, & vniuersa armenta, & duc in domos, ne cadente grandine, in agro pereant. Tunc ait Textus: Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos, Exod. 9. n. 2. Si timore Dei concutebantur aulici isti, cur nihil aliud faciunt, nisi pecora sua in stabula ducere? Cur non potius conueniunt regem, ac pro oppressis Iudæis verba proferunt, vt eos dimittat, iuxta Domini mandatum, vt Domini ira à rege auertatur, totumque regnum à tanta vexatione eximatur? Cur ei non obiciunt; quare tot visis miraculis adhuc in sua proteruitia persistit, & Dei iussis resistit? Cur ergo eis tantum cura incumbit, vt pecora sua seruent? Timebant Deum, tamen de seruis Pharaonis erant, & ideo ipsorum virtus tantum eò tendebat, vt suo commodo, suffique rebus prospicerent, non verò vt per eorum intercessionem aliorum libertati, ac utilitati confunderet; vnde neglecto communi bono, solum suis providebat. Lyppomanus, In seruis Pharaonis erant irremotes, qui abominabantur regis atrocissima impetria, aulicorum tamen more muti ad patrocinium profluentes.

Matth. 15. num. 24. Ipse autem respondens ait, Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.

VERSIONES.
 Arius. Non sum legatus, nisi ad oues perditas.
 Syriacus. Nisi ad oues, quæ aberrauerunt à domo Israel.
 Arabicus. Ad oues errantes domus Israel.

EXPOSITIO IV.

81. Principes de suis factis deo rationem.
 Describitur secunda mulieris repulsa. Ipse respondens ait. Rationem assignat, quare huic afflictæ feminae tam difficilem se exhibeat, qui omnibus miseris valde facilis esse consueuerat. Discant Magnates, suarum actionum reddere rationem, præcipue cum à solito more deuiant. Non sum missus, tanquam Mes-

Genes. 41.

Palatinus intercessor non de aliorum iustitia, sed de suo commodo tractat.

80.

Exod. 9.

Aulici solum de suo commodo pertractant.

Lyppoman.

81.

Principes de suis factis deo rationem.

82. Hieron. Luc. 15.
 Theophyl.
 Multam curam Deus de Israel habebat.
 Luc. 1.
 Rom. 15.
 suas à Deo promissus Israeliticus, nisi ad eos per mei corporalem præsentiam, meamque doctrinam, ac miracula specialiter pascendos. Ad oues Israelitas oues appellat, vt ait hic D. Hieronymus, Vt ex hoc loco etiam vnam errantem ouem de alia parabola intelligamus, Luc. 15. num. 2. Vt ita designetur, quanta sit coherentia in parabolis, ac doctrina Christi. Quæ perierunt, malitia sua, vt ait Theophylactus. Domus Israel, non ait tribus, vel populi Israel, sed domus, vt denotetur eximia solertia, ac cura, quam Deus habebat super illum populum, vt paterfamilias super domum suam, cuius omnia sunt illi in prospectu, ac promptu. Regnabit in domo Iacob, Luc. 1. num. 52. Dicitur Israel, nam ad illum per sui præsentiam directus est Christus. Vnde à Paulo Roman. 15. num. 8. Christus dicitur, Minister circumcisionis, id est circumcisorum.

QVÆSTIO IX.

Quare Christus Dominus cum venerit in remedium totius generis humani, dicat, quod non est missus, nisi ad oues Israel?

82. OPVLVM Israel ouem appellat Dominus: Non sum missus, nisi ad oues Israel: & tamen huiusmodi populus, non solum passim à Prophetis, sed etiam ab ipso Domino rabidis lupis comparatur. Ecco ego mitto vos, sicut oues in medio luporum, Matth. 10. num. 16. Vnde huiusmodi oues in tantam turpitudinem deueniunt, vt lupinam feritatem ebiberent, vt non solum seruis, sed etiam seruorum Domino necem inferrent? Viuebat Israel sub iurisdictione Romanorum, vnde de horum consortio, ac contagione tantam hausit immunitatem, vt Domini sui necem perpetraret. D. Chrysofomus serm. 100. Audi, ait, ipsum dicentem: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: sed oues luporum contagione iam rabide, & ipsæ bestis propria feritate saniores, laniare, & violare semper suum voluere pastorem. Expende illud: Oues luporum contagione. Pro quo vide multa tom. 1. 2. & 3. verbo, Societas.

83. Quæstio præsens inquit: Quomodo Christus Dominus, qui in omnium Gentium salutem venit, vt ipsemet dixit: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet ad me adducere, Ioan. 10. num. 16. dicat in præsentia, quod non est missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel? Dupliciter soluitur quæstio.

84. Primò, vt docent D. Cyrillus lib. 5. in Isaiam, ad illa verba: Latere Ierusalem. S. Euchirius quæstionibus in Matth. D. Ambrosius in Psalm. 43. D. Hieronymus, & Beda hic, D. Paschas. lib. 7. in Matth. Quod Christus ait, se esse missum ad oues, quæ perierunt domus Israel, quia ad illas primum uenerit, vt inquit Paulus Act. 13. num. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vite, Ecce conuertimur ad Gentes. Vt enim repellantur, qui semel electi fuerant amici, valde exacta requiritur comprobatio. Eleganter D. Ambrosius serm. 43. Ostendere dignatus est, ait, propositum, quod eos, quos primo elegerat, nequaquam resutare cupiebat, & sepe deos, & errantes paterno quodam reuocare querebat affectu.

Sylucita in Euang. Tom. IV.

85. Pelusiora.
 Deinde ait Isidorus Pelusiora lib. 1. Epist. 121. Omnem Iudæis excusationem præcidens: Quoniam patribus salutem promiserat, idcirco ad eos, & ex ipsis venit, ac tantisper Gentiles minime admittebat, priorem illis ingressum seruans. Postquam autem obstinatum Iudæorum improbitatem perspexit, ac contra Gentiles ad bonum flexibiles esse reperit, à mortuis resurgens Discipulis, vt Gentes omnes docerent, mandauit. Primò Deus lucrifacere volebat Iudæos, sed cum ipsi essent obstinati, ad Gentes conuertitur prædicatio.

86. August. Hilar. Abulens. Carhus. Caietan.
 Secundo, & aptius dicendum est cum D. Augustino tract. 31. in Ioan. & serm. 74. de temp. D. Hilar. Abulensi, Carhusiano, Caietano, & aliis. Quòd Christus Dominus dicitur missus tantum ad Iudæos, vt illis in propria sua persona prædicaret, illique præsentia sua corporali miracula exhiberet, & ideo ab Apostolo, vt dixi in exposit. Minister circumcisionis dicitur. Sic ait D. August. cit. loco serm. 74. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, ait Dominus, vt illis præsentiam sui corporis exhiberet: non vt oues, quas habebat in Gentibus contemneret. Cur autem præsentiam suam voluit exhibere potius Iudæis, quam Gentibus? Ratio est in promptu, iuxta D. August. citato tract. 31. propter fidem promissionis Abrahæ factæ. Et ideo in regionem Tyri, & Sidonis venit, nec vt prædicaret, nec vt miracula faceret, sed vt lateret. Huic autem mulieri gratiam miraculi impertiuit, eius velut importunis precibus coactus.

87. Rom. 1. 1. & 2. Cor. 1.
 Valde celebris est quæstio apud Expositores. Cur Doctor Gentium statim in exordio suatum Epistolarum se Apostolum vocat. Paulus seruis Iesu Christi vocatus Apostolus, ad Rom. 1. n. 1. Cor. 1. & 2. & sic in aliis. At in Epist. ad Hebr. nec nomen suum expressit, nec se Apostolum dicit, sed absolute incipit: Multisarian, multisq. modis, cap. 1. n. 1. Cur de more suo ad Hebræos se non dicit Apostolum? Cur hæc nomen suum subicit? Eleganter Theodoretus in Prologo ad Hebræos apud Oecumen. Cum Dominus, ait, tanquam Dei Omnipotentis Apostolus ad Hebræos missus esset; Paulus, qui ad Gentes missus erat, non scripsit se Hebræorum Apostolum. Erat Paulus Doctor, ac Apostolus Gentium; Christus autem Dominus constitutus fuerat à Patre Doctor, ac Apostolus Hebræorum, ideo Paulus ad Hebræos scribens se Apostolum non dicit, eorum enim Apostolus Christus Dominus extabat, vt ipsemet ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.

88. Christum alij dat maiora, sibi minora eligit.
 Luc. 2. 2. Machab. 1. Machab. 2.
 Valde mirum, quod Paulus dicatur Gentium Apostolus, quæ in magna amplitudine extabant; & Christus Dominus Aeterni Patris filius datus sit à suo Genitore Hebræorum Apostolus, qui erant in paruo numero; & fortè hac de causa dicuntur oues domus Israel, & non regni Israel, ob suam enim paucitatem veluti vnam domum constituebant. Hæc sanè est diuina conditio, vt sibi minora eligat, aliis verò maiora concedat. Alij dicuntur reges Gentium, Luc. 22. n. 25. Alexanderque introducit totius Orbis imperator. Machab. 1. num. 5. At Christus Dominus à Magis publicatur Iudæorum Rex, Matth. 2. num. 2. In parabola de oue perditâ ait Christus Dominus, quod bonus ille pastor, qui habebat centum oues, cum perdidit vnam, Nonne dimittit nonaginta nouem, & vadit ad illam, quæ perierat, Luc. 15. num. 4. Pro vna oue tantas relinquit, & vnam tantum quærens per tot vias, & montes, pergit D. Chrysofomus serm. 168. Hæc parabola, ait, plus diuine possessa